



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XII. Quot testibus clerici conuinci debeant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

cium pertinentia adsunt, Missarum solennia celebrari permittimus.

ANNO  
CHRISTE  
888.

## X.

Vt clericis interdicatur, mulieres in domo sua habere, omnimodis decernimus. Quamuis enim sacri Canones quasdam personas feminarum simul cum clericis in vna domo habitare permittant: tamen, quod multum dolendum est, sæpe audiimus, per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita vt quidam sacerdotum cum propriis fororibus concumbentes, filios ex eis generassent. Et idcirco constituit hæc sancta Synodus, vt nullus presbyter vllam feminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis vel facti iniqui penitus auferatur.

## XI.

Vrbani pa-  
pæ I. in  
epist. & in  
decretis 17.  
q. 2. Atten-  
dendum.

Attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius vsurpationis contumelia depellenda, ne prædia vsibus secretorum cælestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, & infernali carceri tradatur, aut exilii perpetua deportatione feriat: quoniam iuxta Apostolum, oportet huiusmodi hominem tradere satanæ, vt spiritus saluus fiat in die Domini.

1. Cor. 5.

## XII.

Rom. Con-  
cilium sub  
Siluestro  
papa, in dec.  
2. q. 7. Nul-  
lus laicus.

Presbyter non aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdia-

ANNO  
CHRISTI  
839.

conum, non exorcista aduersus acolytum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. Et non condemnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus, <sup>1. quæst. 5. Præsul.</sup> neque præsul summus a quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum.* <sup>Luc. 6.</sup> Presbyter autem in cardine constitutus, non nisi in quadraginta duobus testibus damnabitur: diaconus cardinarius constitutus vrbis Romæ, non nisi in vigintifex condemnabitur: subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, vxores & filios habentes.

XIII.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuantur.

XIV.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque eius voluntate, vel iudicare. quia sicut eius irrita erit ordinatio, ita & iudicatio: quoniam censemus alterius nullum iudicis, nisi sui, sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus potest.

XV.

Si quis episcopus iudicauerit, vel ordinauerit alterius parochianum sine consensu & voluntate sui episcopi, oportet non sine increpatione in communi Concilio admitti, ita vt ecclesiasticum vltra non soluat Canonem.